



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quest. 1. Quis Centurio & qui cruci astabant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

credere, & illos cubito pellere. Qui satis superbe non putent animas fidelium inferis dignas: serui super Dominum, & discipuli super magistrum, aspernati si forte in Abraha sinu, expectanda resurrectionis solatium carpere.

Irenaeus lib. 5. cap. 31. Dominum, ait, abisse, ubi anima mortuorum erant.

Clemens Alexand. lib. 6. Strom. cap. 2. Orig. hom. 15. in Genes. Gregor. Neocæs. in orat. ad Epiphan. Athanas. de incarnat. Christi. Idem de Synodo Ariminensi. Credimus filium Dei secundum Patris voluntatem crucifixum, & mortuum esse, & ad inferos descendisse, atque ibi quod sui officij erat peregrisse; quem Ianitores inferorum conspicati exhorruerunt: eumque tertio die ab inferis resurrexisse, & versatum cum discipulis fuisse.

Basilii in Psalm. 48. & 44. Hilarius lib. 10. de Trinitat. Ambrosii de incarnat. Dominicae Sacramento. & in Hymno.

Inferni claustra penetrans,

Tuos captiuos redimis.

Id creditum docet Prudentius

Inde est quod omnes credimus,

Illo quieti tempore.

Quo Gallus exultans canit,

Christum redisse ex inferis.

Tunc mortis oppressus rigor,

Tunc lex subacta est Tartari,

Tunc vis dei fortior

Noctem coegit cedere.

Porro quod Rufinum citant, frustra sunt. Ille in expositione Symboli. Quod in infernum Christus descendit, euidenter prænuntiatur in Psalmis, ubi dicit: Et in puluerem mortis deduxisti me: Et iterum: Quia utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem? Et iterum: descendisti in limum profundi, & non est substantia. Sed & Ioannes dicit: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Unde & Petrus dixit: Quia Christus mortificatus carne, uiuificatus autem Spiritu. In ipso (ait) eis qui in carcere inclusi erant, descendit spiritibus predicare, qui increduli fuere in diebus Noe, &c. Redijt victor à mortuis, inferni secum spolia trahens: eduxit enim eos, qui tenebantur à morte, sicut & ipse praxiderat, ubi ait: Cum exaltatus fuero à terra, omnia ad me traham.

August. Epist. 57. ad Dardanum. Si secundum hominem quem Verbum Deus suscepit, putamus dictum esse Hodie mecum eris in Paradiso, non ex his verbis in caelo existimandus est esse paradisus. Neque enim ipso die in caelo futurus erat homo Christus Iesus, sed in inferno secundum animam, in sepulchro autem secundum carnem. Et de carne quidem, quod eo die in sepulchro sit posita, manifestissimum est Euangelium. Quod vero illa anima in infernum descenderit, Apostolica doctrina predicat. Quandoquidem beatus Petrus ad hanc rem testimonium de Psalmis adhibet, ubi de ipso praxdictum esse demonstrat. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Sic Paulinus de obitu Celsi pueri. Arnobius in Pl. 137. Eucherius libro formularum spiritualium. num. 35. Chrysologus serm. 69. Marius victor praxfat. in Gen. Vigilius lib. 2. contra Eutychetem. Fulgentius lib. 3. c. 31. aliorum etiam hac in re summus consensus est, adeo ut articulum admittant nunc Calviniani, sed ita sceleratè explicent, ut minus perfide facerent, si negarent. Nam Christum descendisse interpretantur, pœnas inferni sustinuisse. Contra quos supra disputaui.

VERSUS 54. 55. 56.

Centurio autem & qui cum eo erant,
custodientes Iesum, viso terræ motu,
& his quæ fiebant, timuerunt
valde, dicentes: Vere Filius Dei

erat iste. Erant autem ibi mulieres
multæ à longe, quæ secutæ erant Ie-
sum à Galilæa, ministrantes ei, in-
ter quas erat Maria Magdalene
& Maria Iacobi & Ioseph mater,
& mater filiorum Zebedæi.

QVÆSTIO I.

Quis centurio, & qui cruci affabant?

§. 1. L. Ongenius appellatur in historiis Ecclesiasticis apud Metaphrastem 16. Octob. martyrio confessionem dicitur firmasse. Specimen vocationis gentium hoc fuit. Chrysostomus certe de illo testatur. Τοσούτην ἡ σπουδαία ἡ δύναμις, οἷς μὴ χυδαίας τῶν σωτηρίας καὶ κοινῶν διὰς καὶ σὺν ἡμῶν, καὶ τῶν πνευματικῶν καὶ τῶν ἰσχυρῶν καὶ τῶν δυνάμεων. πῶς ὁ φάσιν, ὅτι καὶ μαρτυροῦντες ἡ κεντρικῶν τῶν ἀνθρώπων καὶ μὴ τῶν ἀνθρώπων, id est: Tanta crucifixi virtus apparuit, ut postillas contumelias, post vituperationem & cadem, tam Centurio, quam populus compuncti fuerint. Quidam autem dicunt hunc Centurionem in fide postea roboratū adeo fuisse, ut etiam martyrio sit coronatus.

Et paulo ante. Καὶ ὅτι ὁ κεντρικῶν καὶ τῶν πνευματικῶν, ὅτι μὴ ἡ σπουδαία ἀνθρώπων. αὐτῶν ἡ φωνὴ πᾶσι πνευματικῶν ἑαυτοῦ, τὰ μνηστικὰ ἡννοῖ, καὶ τὸ ὅτι ἐκείνους ἡμῶν, id est: Sed centurio quoque, ideo maxime credidit, quia suum ipsum sponte & potestate mortuum perspexit. Hæc vox velum templi scidit, monumenta aperuit, & templum ipsum in desolationem redegit.

Ita continuo Deus mortem filii sui honorauit, ut qui irriserant viuentem, mortui gloriam prædicent. Hoc fecit & Pilatus, teste Orofio. histor. 7. cap. 4. Postquam passus est Dominus Christus, atque à mortuis resurrexit, & discipulos suos ad predicandum dimisit. Pilatus præfatus Palastrinæ prouincia ad Tiberium Imperatorem atque senatum tulit de passione & resurrectione Christi consequentibusque virtutibus, quæ vel per ipsum palam factæ fuerant, vel per discipulos illius in nomine eius fiebant, & de eo quod certam credente plurimorum fide Deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni fauoris retulit ad senatum, ut Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non sibi prius secundum morem delatum esset, ut de suscipiendo cultu prius ipse decerneret, consecrationem Christi recusauit.

Eusebius etiam lib. 2. c. 2. Senatui tenuisse, Tiberium in sententia mansisse.

§. 2. Hinc apparet Caluinum maleuole de centurione iudicasse, fuisse euandum impetum. Unde enim hoc illi constat, cum veteres historie veram, & martyrio coronatam constantiam esse asserant? Eadem maleuolentia Apostolos abfuisse fingit. Rectius S. Athanasius hinc Christi fuisse veram mortem & humanitatem probat. lib. 3. de assumptione hominis. In Christi quoque morte id ipsum patet, corpore non ultra sepulchrum delato, anima ad inferos penetrante, loci ingenti intervallo scerminati: sepulchro quidem id quod corporeum erat, quoniam corpus aderat, recipiente: inferno vero id quod incorporeum fuit. Quaratione igitur factum est, ut cum Dominus a se incorporaliter, pro homine à morte sit agnitus? ut earum animarum, quas infernus tenebat vincula sua anima inebriata quidem vinculo mortis, sed tamen quæ quasi obnoxia saluasset, disrumperet? explicans illis modum rationem, suæ resurrectionis, ut plastes ille & conditor hominū hominem damnationi subiectum ipse præfens ad plenum liberaret in sua forma?

De salutari Christi aduentu: Anima Ada in condemnatione mortis detenta clamabat ad suum Dominum perperam, & cum ea ceteri, qui Deo per legem naturæ placuerunt, & ita cum

